Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
JURE FAMULORUM

Vom Recht der Dienst-Botten / Ehehalten / Knechte / und Mägde /

QUAM

DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA

EX

PERMISSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ.

IN ILLUSTRI ACADEM. EBERHARDINA

SUB PRÆSIDIO



DOMINI

JOH. THEODORI SCHEFFERI,

J. U. D. SACRI CÆSAREI PALATII COMITIS, PROFESSORIS JURIS PUBL. ORDINARII CELEBERR. RELIQU.

PATRONI ac PRÆCEPTORIS

OMNI PIETATIS CULTU ÆTERNUM DEVENERANDI,

PUBLICE DEFENDENDAM SISTIT

EBERH. FRIDERICUS GEORGI, *Stutgard.*

AUCTOR ET RESPONDENS.

TUBINGÆ,

AD DIEM XXX. SEPTEMBR. MDCCXXX.

LITTERIS FRANCKIANIS.

CAP. I.

De Origine famulorum & famularum, Homonymia, Synonymia, Definitione & Divisione.

§. 1.



NE omissis initiis, atque origine non repetita, illotis, uti communiter dicitur, manibus, præsentis materiæ tractationem, monente JCto Gajo in *L. 1. pr. ff. de Orig. Jur.* suscipiamus, paucis famulorum famularumque originem exponere, nobiscum habemus constitutum.

§. 2.

Naturam humanam omnibus æque competere, neminemque velle libenter illi sociari, abs quo non saltem tanquam æque homo, & communis naturæ particeps æstimetur; quin & homini insitam esse delicatam quandam sui ipsius æstimationem, cui, si quid detrahatur, non minus commoveri solere, quam si rebus aut corpori noxa inferatur; *Liberos* itaque non *servos* nasci homines in *Statu Naturali*, si devites eorum tricas, quibus Aristotelis servi naturâ tales, crucem figunt, omnes mecum confiteantur, necesse est. vid. Aristot. *l. Pol.* 3. *&* 4. B. D. Puffend. de *Off. Hom. Civ. L. l. C. 7. §. 1.* Illustr. D. Böhmer, in Diss. *de Jure & statu hom. propr. à serv. Germ. non Rom. derivando. Sect. 1. pr.*

§. 3.

Misso *Statu Naturali* ad *Status adventitios* nos vertimus, quorum tertius deprehenditur *Herilis*, societati inter Domi-

num & Servum innixus. Puffend. *L. 2. C. 4.* §. *1.* per tot. add. Exc. Dn. Prof. Roesler Them. Puffend. *L. 2. C. 4. Th. 1.*

§. 4.

Multiplicato enim genere humano, cœptaque dominiorum diſtinctione, bonorum inæqualitatem invehente, deprehenſum cum fuiſſet, Patremfam. omnibus negotiis domeſticis expediendis parem non eſſe, è contrario vero res, aliorum miniſteriô per quam commodè curari poſſe, introductum fuit, ut ad operas domeſticas obeundas, in familiam adſciſcerentur ſervi. B. Puffend. *mod. c. l. add.* Eiusd. *J. N. G. L. 6. C. 3.* Böhmer *d. l.*

§. 5.

Qui ab initio ultrò ſe ſe obtulerunt, inopiâque aut hebetudine ſenſus animi adacti, perpetuam aut temporariam alimentorum aliarumque neceſſitatum præbitionem ſtipulati, Hero miniſteria ſua perpetua vel temporaria addixerunt, indeque *Servitus Pactitia* ortum traxit. Grot. *de J. B. P. L. 2. C. 5. §. 27.*

§. 6.

Hanc ſervitutem igitur, ſi hiſtoriam vel antiquiſſimorum temporum evolvamus, ſtatim apud *Gentem Ebraam* deprehendimus in Eleaſare, ſervo Abrahami, & Hagare ejusdem ſerva. Geneſ. *16.* & *24.* Seldenus de J. N. G. Hebræor. *L. 6. C. 7.* Buddeus in Synopſ. Jur. Nat. & Gent. ſec. diſcipl. Hebræor. p. 69. -- 73.

§. 7.

Pergendo ulterius, & ad alios quosdam nobiliores populos ſe ſe convertendo, apud *Græcos* eadem occurrit; ita enim Pauſanias: *Cum è Thracia mulieres, voluntaria ſervitute, dum ingenua ortu eſſent, victum ſibi apud Erythræos quæritaſſent &c.* vid. poſt Pauſan. Achaic. ſ. *L. 7. C. 5.* Puffend. de J. N. G. *L. 6. C. 3.* §. *3. in not. ſub Lit. a.*

§. 8.

§. 8.

Ab his, si ad *Romanorum* castra transimus, eandem apud illos quoque obtinuisse evincit [*L.* 1. §. 2. *J. de Usu. & Habit.* B. D. Titius *in Jprud. Rom. Germ. L.* 2.] *C.* 1. §. 14. ejusd. *obs. Laut.* 20. *seqq.*

§. 9.

Si tandem nostram *Germaniam* spectemus, & ibi vestigia hujus servitutis deprehendimus; ibi plerique, cum aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuriâ potentiorum premuntur, se se in servitutem dicunt nobilibus; in hos eadem omnia sunt Jura, quæ Dominis in servos. vid. Jul. Cæs. de *Plebe Gall. L.* 6. *Bell. Gall.* in term. terminant. add. LL. *Frisionum Tit.* 2. *Bajuar. t.* 6. *c.* 3. §. 1. apud B. Puffend. de J. N. G. jam c. l.

§. 10.

Servitutem hanc *Pactitiam* excepit *Legalis.* Postquam enim mortales, post dominiorum distinctionem, & libido dominandi & ditescendi cupido in alios armaret; victis vero, quibus vita donabatur, communi Gentium consensu, servitutis Legem imposuerint, unde novus servitutem constituendi modus resultavit: *per Captivitatem bellicam,* inde servorum Romanorum definitio profecta. *L.* 1. §. 3. *l. de Jur.. pers. L.* 5. *ff. de Stat. Hom. Grot. L.* 3. *C.* 7.

§. 11.

Huic novus iterum successit modus: per *Nativitatem,* quâ nati ex bello captis conditionem Parentum sequebantur. per *d. l.* 1. §. 4. *l. de Jur. pers.* add. D. Bœhm. *cit. Diss. & l.*

§. 12.

Delicta quoque dedisse occasionem servitutem constituendi, patet ex *L.* 4. *C. de libert. eorumque Lib. & tot. fere tit. ff. de pæn.* add. *c.* 3. *Caus.* 15. *Q.* 8. *c.* 6. & 17. *X. de Jud. & Sarac.*

§. 13.

Quin & *sui venditionem* eandem effecisse, hanc in rem testis est *cit. l. 1. §. 4. & L. 5.* l. *de Jur. pers.* Præter hos & alii modi servitutem constituendi, nonnullis Gentibus fuere recepti: puta ex *Fori* aut *Patrisfam. addictione* de quibus vid. Budd. cit. l. item *ex Lusu.* vid. Tac. de Mor. Germ. l. *1.* c. *24.*

§. 14.

De posteriori servitutis divisione, scil. *Legali*, ejusque subdivisionibus, earumque effectibus, in præsens non erimus solliciti; cum nobis saltem Jura famulorum hodiernorum s. *Servorum Pactitiorum* exponere, animus sit. Interim de *Legali Servitute* ejusque divisionibus inprimis conferantur. Laurent. Pignor. tr. *de servis.* B. D. Thomas. *Quæst. 6. ad Dissert. de rat. status. & Dissert. de Usu Pract. distinct. hom. in ingen. & libertin.* Stamm. *de servit. pers.* Potgiesser *de serv. Germ.* Balthasar *de operis subdit.* Bonacossa *tr. de servis.* B. D. D. Harppr. *Diss. de Mortuar.* B. D. Beyer. *in posit. ad ff. L. 1, T. 5, princ. per tot.* Illustr. D. Böhm. *sæp. cit. Diss.*

§. 15.

Exposita jam origine famulorum, recepto in scholis more, nominis jam & rei, de qua tractatio suscipitur, monente Majero *in præf. ad Tom. I. Coll. Jur. Arg.* præmittemus, veterumque Jctorum viæ, ab explicatione vocum originis, haud ita in frequenter ordientium insistemus, secundum *L. 1. §. 1. ff. de pact.* & insuper, quæ in verbis latet, obscuritatem, exponemus: quippe quæ tanquam expensa nubes, tum intelligendi vim animo aufert, tum à recta rerum administratione avertit, dicente Leone Imp. *in Nov.* 42. verborum meritò, ante res ipsas, obscuritatis istius scopulos evitare laborantibus, habeamus rationem.

§. 16.

§. 16.

Famulorum vero vocem derivari à verbo *famulari*, servire, dienen: apud Non. in hac voce. Cic. 3. de Republ. *est genus injustæ servitutis, cum hi famulantur &c.* unde vocem *famuli*, *famula*, *famulatus*, *famulitii*, & antiqui illius *famul* pro *famulo*, descendere, testis est Basilius Faber in *Thesauro Erud. Scholast.* sub voce *famulor*.

§. 17.

Variè autem vox *famuli* sumitur. Alii enim per *benevolentiam* tales sunt: ut apud Tibullum.

Nullus liber erit, si quis amare velit.

Alii per *humilitatem*: ut Justinianus Imperator *L. 1. C. de Off. Præf. Prat. Afr.* Apostoli quoque se servos servorum Dei vocabant: ad quorum exemplum Pontifex Rom. se quoque servum servorum nominat.

per Cap. Venerabilem. X. de Elect.

Alii per malitiam tales: quo illud Poetæ.

Quid Tibi nobilitas? quid clarum genus avorum,
Si servus vitiis factus es ipse tuis.

Alii denique per *obligationis vinculum* tales: cum superiorem recognoscunt, eique officia exhibent: hoc sensu Vasalli & Ministri Principum famuli dici possunt, at de his in præsentiarum sermo non est. vid. Carol. du Frêsne *in Glossar. sub voce famulus.*

§. 18.

Diversis quoque nominibus olim famuli erant insigniti: Nunc enim *Smurdi* audiebant. Schilter. *Prax. Jur. Rom. ex* 3. Nunc *Valeti*, *Scutiferi*: unde Gallis *les Valets*, *les Escuiers.* Charta de Anno 1307. ap. Fr. Sand. Consuet. Feud. Geldr. ibi: *nos Herbertus de Putten, famulus &c.* Nunc *Ambactus*, i.e. servus mercenarius, eaque voce usus est Ennius. Joach. Potgiesser *de stat. serv. L. 1. C. 3. §. 1.* Nunc *familia, tot. tit. ff. si fa-*

si famil. furt. fec. dic. L. 32. ff. ad Leg. Aquil. Nunc *operarius artificialis*: *v. gr.* sartor, vietor, faber ferrarius &c. qui in ædibus nostris non morantur, nec pane nostro fruuntur; quique præter operas suas ipsam etiam materiam concedunt quandoque. Berlich. *P. 1. Concl. 64. num. 13.* Nunc *Gassindus*, unde vox germanica Gesind. du Frêsne d. Glossar. sub voce *serviens.* Nunc germanicè Schalck / & in antiquis Literis *Schaldo* invenitur, Latinis pro servo & velut proprio nomine servi. Goldast. *Tom. 3. Rer. Alemann. f. 150.* add. Wehner *obs. pract. p.* 428. ubi Imperatoris Conradi servos, Schalck / fuisse dictos, tradit. In Vernacula denique famuli audiunt. Dienstbotten / Gesind / Ehehalten / Knecht / Mägd / Bediente.

§. 19.

Nunc jam ad ipsam famuli definitionem progredimur: Est autem *famulus, libera persona, in ædibus nostris se se tenens, paneque nostro vescens, cujus operas pro certa mercede regulariter conduximus.* Bonacossa Tr. *de serv. & fam. proëm. & qu. 1.*

§. 20.

Definitionem excipit *Divisio.* Apud Romanos servos *medicos, notarios, mercatores &c.* nec non vilioris generis, uti *stipatores, cubicularios, cellarios, mediastinos, atrienses, ancillas, pedissequas, pennarias, flabelliferas*, & alias ejusmodi generis extitisse, longè lateque docet Porgiesser *d. l. per tot.* Laurent. Pignor. *de servis, L. serv. urb. 99. ff. de Legat. 3.* Ratione *temporis* audiebant vel *novitii* vel *veterani*, vel *temporarii* vel *perpetui.* Ratione *morum* in *bonos* & *malos* dividebantur: *L. si necem, 4. ff. de bon. libert.* Herm. Stamm *de serv. person. in L. 2. c. 1. §. 4. in fin. L. Julian. 13. §. 1. ff. de Act. Emt. Vend. & L. Barbarius ff. de Offic. Prætor.* Denique ratione *ordinis* dividuntur in *Ordinarios*, & *Vicarios. Ordinarii*, erant præcipui nominis famuli, & *vicarios* tanquam mino-

minoris gent. famulos sub se habebant, unde & Hauptknecht: hodie Banckknecht / Oberknecht. dicti. *L. si serv. 17. cum seqq. ff. de pecul.* Porgiesser. *d. Tr. Vicarii* viliora domestica aut rustica Domini negotia curabant & *ordinariis* suberant, hodierni vero *Vicarii* sunt, qui *ordinariis* pro certa mercede operas, morbo aut aliâ de causa impeditis, præstant. Stamm. *d. L.*

§. 20.

Nostris moribus *famulos famulasve* ratione servitiorum, quæ præstant, dispescimus, in *pedissequos*, *Laquayen*, *Livree* bediente / *famulos equis vel aliis jumentis curandis adhibitos*, Gutscher / Reuttknecht / Baurenknecht; vel operas artificiales præstantes: cujusmodi sunt: Kieffer / Metzger / Beckenknecht 2c. de his vero heic loci non agimus. *Famularum* aliæ sunt, *Coquæ*, die Köchinnen / *ancillæ* die Haußmägd / *quæ horti interdum cultura, aut pecorum cura destinatæ sunt*, Garttenmägd / Viehmägd; *Gerarlæ*, Kindsmägd 2c. Has omnes ad exemplum Romanorum in *urbanas* & *rusticas* dispescere possumus: quas quidem pro ratione prædii, in quo operas præstant, ex rusticis fieri urbanas, & vice versa: asserimus *arg. L. 2. ff. de* S. P. R.

§. 21.

Exposita demum *Origine*, *Homonymia*, *Synonymia*, *Definitione & Divisione*, pergimus ulterius, accingendo nos ad

Cap. II.

De Famulis Contrahentibus.

§. 1.

CUm nihil frequentius sit, in materia famulorum, quam ut per Contractum *Locat. Conduct.* constituantur, ideò quoque Cap. hoc de *Famulis contrahentibus* inscripsimus: si quidem vero moris est, ut famuli famulæve non ipsæ operas

ras suas locent, sed per proxenetas, die Fürkäufflerin / operas quærant, hæ vero plerumque illas ad cœlum usque extollunt, spe lucrandi, Dominosque valde decipiunt: non dubium, quin deceptrices hæ ex tali fraudulenta commendatione teneantur. Carpz. *P. 2. C. 18. def. ult.* Jul. Bernh. de Rohr *Introd. in Iprud. Priv. Rom. Germ. L. 1. c. 15. t. 14. de Jure proxenetar.* Dominoque potestas sit relicta famulos ejusmodi famulasve imperitas, præclaras interdum coquas, cum ne olera quidem crescere viderint et nescio, quas amplius, se se profitentes, servitiô expellendi, & ad interesse contra illas agendi; cum ignorantia circa officium cuique injunctum, ab imputatione damni inde evenientis non liberet. Lauterb. in *Coll ad L. Aquil.* Stryk. *in Us. Mod. eod.*

§. 2.

Jam hujus Contractus substantia consistit in *consensu* super *opera & mercede.* Lauterb. *tot. tit. ff. Locat.* D. Böhmer *Introd. ad Jus Digest. de locat. p. tot.* B. Dn. Ludovici *Doctr. Pand de locat. Conduct.* §. 7.

§. 3.

Est autem *Locatiô Conductio, contractus bilateralis, bonæ fidei, verus, nominatus, consensualis, Juris Gent. de re pro certa mercede regular. fruenda vel opera præstanda*, quod ultimum hic facit. Schüz *Comp. Lauterb. tit. Loc. Cond. pr.* Stryk. *U. M. eod. p. tot.*

§. 4.

Hinc producit *actionem utrinque directam:* & quidem *Nativam*. Magnif. D. D. Graff. *in Diss. de Act. Nativ. & Dativ.* Quarum *una* datur Conductori ejusque heredibus adversus Locatorem, non vero ejus heredes, ad operas fideliter præstandas: *Altera* datur Locatori ejusque heredibus, adversus Conductorem & heredes, ad consequendam mercedem. L. 1. §. 9. *C. de Caduc. toll.* Dn. Schöpffer *in Synopsi Juris Priv. Rom. & Forens. de Locat. Conduct.* Tribuit *usuras* à tempore moræ *per L. Mora*

32.

32. §. 2. ff. *de Usur.* add. Rec. Imperii *de Anno 1600.* §. So viel nun. Stryck *in Caut. contract. S. 2. c. 1. §. 25. Vero* utriusque contrahentium *consensu, verbis, literis, vel facto,* declarato, initur. *L. 4. ff. pro soc. Certam* ac specialem *formam* habet, indeque *speciale nomen & nominatam actionem* producit. *L. 7. §. 1. ff. de pact.* nec *invito altero* regulariter quis *pœnitere* potest. *arg. L. 5. C. de O. & A.* Mev. *P. 5. dec. 55.*

§. 5

Præter consensum ad hujus contractus perfectionem, nihil requiritur, neque rei traditio, neque verba, neque literæ desiderantur L. 52. §. *pen. & ult. ff. de O. & A.* Ludov. *tit. de Emt. vend. princ.* B. Dn. Stryk. *d. sect. 2. c. 8.* unde arrhæ datio saltem melioris probationis gratiâ intervenit. Germanice Haftgeld. vid. omnino *pr. J. Emt. Vend.* Hinc cum dispendio illius uni contrahentium licet à contractu discedere, si in signum locat. adhuc perficiendæ fuerint datæ, quam v. gr. in scriptis fieri placuit, cum scil. conventum, ne sine ea valeat contractus. *per l. Contractus.* 17. *C. de fid. Instr.* sic enim si Conductor amittere velit, quas dedit, Locator vero duplicatas restituere, à contractu recedere possunt, quod & ex consuetudine obtinere dicit B. D. D. Lauterb. *in diss. de Arrha. Th. 100.* Ludov. *c. l.* §. 2. *in fin.*

§. 6.

Hæc arrha circa communem praxin & Ordinationem inclyti hujus Ducatus Würtembergici Rubr. von Ehehalten. §. zum andern. in mercedem famulis non imputatur, sed eorum lucro cedit, insuper cautum: ut si finita Locatione Dominus famulum reconduxerit, vel famulus operas relocaverit, tantundem arrhæ loco ei debeatur, quantum primum, cum contraxerunt, datum fuit. vid. *d. Ordinatio cit.* apud B. D. Lauterb. *in d. diss. de Arrha.*

§. 7.

Expressus non *tacitus* consensus in hoc contractu desideratur ab initio: finita vero locatione, cum famulus non contradicente Domino in ædibus illius maneat, locatio videtur renovata, & tacitus admittitur consensus. *L. 16. C. Locat.* Ludov. *sap. cit. l. §. 4.*

§. 8.

Porro consensus debet esse *liber*, non *coactus*; nemo enim cogi debet, ut alteri operas suas locet, vel si locarit ultra præfinitum tempus in iis moretur; quia gravis videtur injuria, quæ inani honestatis colore velatur, ut homines aliquid facere cogantur inviti. *l. 34. C. Locat. Cond.* sed liberam discedendi facultatem habeant. Inde, sine causa literæ discessus, Paßports-Brieff / Abschieds-Brieff / testimonia &c. non denegandæ, quarum effectus est, ne tales dimissi pro erronibus habeantur, quos recipere prohibitum. Ita enim in Reformat. Guter Policey zu Augspurg. &c. de A. 1548. tit. 24. sancitum: Wollen wir / daß keiner des andern reysigen Knecht oder Dienstbotten annehmen soll / er zeige dann zuvor einen Paßport oder Urkund an / daß er ehrlich abgeschiden sey / und mit willen von seinem Herrn. Addita pœna 5. flor. si quis sine literis discessus recipiat famulum. Hessen-Cassellische Pol. ordn. *tit 7.* Aliter res sese habet in rusticis & mendicis, hi enim operas locare tenentur. Priores namque cogi possunt ad operas Dominis locandas, si aliis nondum promiserint, Domini vero eodem tempore eas exegerint, eandemque mercedem obtulerint. B. D. Titius *Obs. Lauterb.* 586. & Carpz. *L. 1. Resp.* 58. Posteriores appelluntur, aut ad opus faciendum adiguntur, non propterea, quia societati humanæ non prosunt, sed quia eidem graves sunt; dum gratis ali cupiunt, & sæpè ad furta aliaque facinora, ut pigrum ventrem

susten-

ſuſtentent, deflectunt. B. D. D. Beyer. *poſit. ad Pand. L.* 1. *tit.* 1. *circa fin.*

§. 9.

Cum Paterfam. ſolus operas domeſticas nequeat expedire, operâ famuli utitur. Etſi quidem quemlibet famulari & cuilibet, Jura permiſiſſe videantur, tamen Chriſtiani Judæis prohibentur ſervire *per tot. tit. C. de Jud. & Cælic.* Schilter. *Ex.* 37. *Th.* 15. *usque* 21. pari modo Bannitis impunè ſervire non licet. Reform. **der Policey zu Franckfurth** *de anno* 1442. *Rubr.* **von reyſigen Knechten.** Bn. Dn. D. Struv. *Synt. Jur. Feud. C.* 11. §. 7.

§. 10.

Operæ, quas præſtat famulus, ſunt vel *indeterminatæ,* vel *determinatæ ſ. ſpeciales*: prioris generis ſunt operæ famulorum; poſterioris operariorum; & hæc ſpecies dicitur Locatio operis: quæ vero huc non pertinet. B. D. D. Beyer *poſit. ad Inſt. Loc. Cond. poſ.* 3. Schöpfer. *d tit. princ.*

§. 11.

Hæ operæ non ſint *impoſſibiles*: ſiquidem ad operas eas, quæ absque turpitudine, vitæ periculo, aut ob naturæ impedimentum præſtari nequeunt, famuli nullatenus tenentur. *L. filius.* 15. *& L. fin. ff. de condit. inſtit.* neque *immoderatæ*: nam ſervitia immoderata tanquam indebita, à Dominis per metum expreſſa cenſentur. Bonac. *de ſerv. q.* 38. nec Dominus in ſuos famulos ſit *monoſyllabus,* ut imperioſiores quandoque Domini facere ſolent; ſed memor illius apud Senecam: L. 1 *de Clementia c.* 18. *p.* 292. *ſervis imperare moderatè laus eſt, & in mancipio cogitandum non quantum illud poſſit pati impunè, ſed quantum tibi boni & æqui natura permittat, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet*: & paulo poſt: *cum in ſervum liceant, eſt aliquid, quod in hominem licere Jus Commune animantium vetet; quia ejusdem na-*

tura est; nec fulmina & tonitrua, si non ad nutum Domini jussa intelligant, immittat; nihil enim infelicius, quam quod invitâ Minervâ agitur. Unde glossa: *in capit.* qui ex timore, *in verb. jam non facit. X. de re jud.* qui servit invitus, & rem & meritum perdit; & satis inutile, ut coacta servitia Domino præstentur. *C. illud autem. 20. q. 1.* quia liberum datorem & servitorem diligit Deus. *C. non est. 15. q. 1.*

§. 12.

Etsi aliam personam substituere non liceat, ob certæ personæ industriam electam, per notata B. Brunnem. *ad tit. Cod. de caduc. toll.* & B. D. D. Lauterb. in *tract. synopt. tit. Locat. Conduct. §. 1. num. 25.* tamen interdum *famulus* morbo aliave de causa impeditus, operas suas *per alium* expedit, dummodo *vicarius* ille *famulus* Domino sit acceptabilis. *arg. 2. feud. 26. §. si quis* Celeberr. Dn. D. Struv. *Iprud. feud c. 17. §. 4. & 5.* recte autem eum recusat Dominus, si ejusdem peritiæ ac conductus, non est, & Dominus industriæ personam elegit. *L. nemo. 5. ibi: duo fabri ejusd. peritia. ff. de duob. reis. constit.* plerumque enim robur hominis, ætas temporis, opportunitasque naturalis causam operarum immutare solet; dicit Ulpianus in *L. si non sortem. 26. §. liberto. vers. si operas. ff. de condict. indeb.* Gail. *1. obs. 79.* namque personæ industria in famulo ex qualitate facti & personæ electa censetur. Menoch. *L. 6. præsumt. 92. per tot.* & B. D. D. Mögling. Diss. de *certa persona industria electa.*

§. 13.

Nonnunquam etiam famulus præter *Dominum suum*, jussu ejus & *alium Dominum* habet, & ei operas præstat. *L. 24. §. 1. ff. de usu & usufr. &c. leg.* Lauterb. Comp. *Tit. Loc. Cond.*

§. 14.

Denique etiam non *uni*, sed & *pluribus* quandoque servit famulus. His dum simul servire uno momento non potest, quia impossibile est, simul esse & non esse: *per. vulg.*

Domini

Domini igitur inter se debent convenire, cujus jussa primum exequatur: si non convenerint, aut seniori, aut illi, qui primum eum conduxit, serviat: aut cujus negotium magis necessarium est. v. gr. ægroto medicamenta prius, quam alteri vinum petat. Rebuff. *ad Auth. Habita. in verb. & ejus ministris.*

§. 15.

Quamvis privilegia sint stricti Juris, & cum personis extinguantur. *L. in omnibus. 68. ff. de R. J.* D. Böhmer *Introd in Jus Digest.* L. 1. t. 4. §. 6. tamen, si privilegium aliàs maneat inutile, & ad adhærentes personas extenditur. *L. 6. C. de Prof. & Med.* ibique B. D. Brunnem. Hinc à solutione gabellæ sicut Domini, immunes sunt. e. g. famuli Ministrorum Principis, vid. Magnif. D. D. Schweder *Introd. in Jus Publ.* c. 20. & laud. D.D. Struv. *Syntagm. Jur. Publ.* §. 24. *seqq.* Doctorum, Studiosorum; & forum Domini sortiuntur. per. *L. 2. C. ne fil. pro patre.* Rebuff. *de privileg. Univers. 166. & seqq. L. 2* §. *1. C. de Episc. & Cler.* Menoch. *de arbitr. quæst. cas. 562. n. 21.* Illustr. D. de Berger *Oeconom. Jur. p. 942.* D. Stryck. *Us. mod. de Jurisdict.* §. 30. ubi præjudic. *Facult. Jurid Halens.*

§. 16.

Circa *mercedem* observandum, quod præter *pecuniam numeratam*, ut in definitione famuli innuimus, etiam *victus* præstetur; Licet vero *victus* s. alimenta, omnia, quæ ad vitæ sustentationem faciunt, comprehendat *L. 234. §. f. de V. S.* tamen hîc vestes in eo non includuntur: *L. 8. §. 12. ff. de transact.*

§ 17.

Victus est *triplex*; primo sumitur pro *alimentis*, quæ Dominus famulo suo præstat; quæ vero ratio *victus* habenda sit, contra Alber. Gentil. *de Jure Belli. L. 3. c. 9. satis cibarii esse,* inquientem, *quod à fame, & satis vestiarii, quod à frigore defendat;*

quod

quod verum quidem, ſed rem non tangit: clarius exponit die verbeſſerte Policey-Ordnung in Erfurth *de Anno 1577. tit. 25.* §. *1. ibi*: Es ſoll auch eine jede Obrigkeit / ſo viel die Dienſtbotten, Handwercker und Taglöhner / ſo wohl in den Stätten / als in den Dörfern betrifft / in ihren Gebiethen eine Satzung oder Ordnung / (nachdem der Lohn in wenig Jahren etwa hoch geſtiegen) aufrichten / wie dieſelbe nach eines jeden Landes-Gelegenheit / ihrer Unterthanen gemeinem Nutzen mit Eſſen und Trincken / und anderer Belohnung und dargegen mit treuem fleiſſigem Arbeiten zum fruchtbarlichſten angeſehen wird / damit ſie ihres Gefallens nicht auß den Dienſten und Arbeit tretten / und derſelben Ungehorſam und eigenem Willen / auch mit ernſtlichem einſehen fürgekommen werde. Cæterum ratio perſonæ *Domini* omnino habenda; *quia nobilium & aliorum dignitate conſpicuorum Virorum* in *victu* & *amictu* melioris debeant eſſe conditionis, quam *plebejorum*; B. D. D. Harppr. *Conſil. 14.* inſuper *loci ratio* quoque attenditur; melius enim *urbanus*, quam *ruſticus*, & *ordinarius*, quam *vicarius* vivere debet. *per text. not. in L. ſerv. urb. 99. ff. de Leg. 3.* add. Illuſtr. Dn. de Wernher *Diſſ. de beneficio competent. generatim, ſpeciatimque nobilibus conceſſo.* & B. D. Hornii *Diſſ. de benefic. compet. civitatibus non competente*: vid. præterea B. D. Beyer *poſ. ad Inſt. L. 4. T. 6.* ubi præjudicium hac de re exhibet *Facult. Jurid. Lipſ.* ſecundo ſub *victus* nomine hîc & *amictus* comprehenditur L. 44. *ff. de V. S.*

§. 18.

Romanis enim non ſolum, ſed & compluribus aliis populis fuit in moribus, ſervilis conditionis homines ab ingenuis, certis quibusdam notis, veluti veſte, certaque capillorum forma, aliisque modis diſcernere. De Romanis palam eſt: ita enim Cato *de re ruſt. c. 54. Veſtimenta, familiæ tunicam alternis*

ternis annis: Quotiescunque tunicam aut sagam dabis, prius veterem accipito, unde Centones fiant. Potgiesser *L. 1. C. 4. § 2. Sculponeas bonas alternis annis.* Idem Cato. *d. l.* Hodiè *amictus* quoque nonnullis famulis datur, quos vocant die Livrée Bediente/ so die Montour tragen. *qualis* vero *amictus*, & *quando* præstandus sit, item *vestis in genere*, die grosse *Montour*, an vero & reliqua, e. gr. *calceamenta*, *indusia &c.* die kleine *Montour*, famulo paranda sint à Domino, partim à *conventione*, partim à *consuetudine Locorum* dependet. Sic in quibusdam Locis receptum, ut per singulos annos servo rustico 5. vel 6. ulnæ panni & corium pro soleis calceamentorum praebeatur. Man gibt einem Bauren-Knecht Tuch zu Hemden / und Leder/ die c. v. Schuh damit zu sohlen. Addendum, quod famulis s. famulabus, pro conditione Dominorum, quibus serviunt, *vestes lugubres* sint præstandæ, aut earum interesse, quod & Praxis servat. Man gibt den Bedienten und Mägden Trauer-Kleider/ Bonacossa *d. tr. q. 32.* & ex identitate rationis Illustr. D. de Berger *in Oeconom. Juris p. 374. ubi* præjudicium *Facult. Viadrina* hac de re exhibetur. Quando *amictus per annum* præstatur, intra hoc tempus vero ante finem conventi temporis sine *justa causa*, v. gr. *ob delictum* sese famulus *subducat*, vel à Domino *ob justam causam expellatur*, *amictus* ipsi exuitur. Die *Montour* wird ihm ausgezogen. vid. Hartm. Hartm. *L. 2. obs. 7. n. 3.* & Besold. *sub. voce* Kleider. Damnum enim quod quis suâ culpa sentit, sentire non videtur. *juxta commun.* Si vero *ex voluntate Domini ante præfinitum tempus sine gravi quadam causa dimittatur*, nec *idoneum herum* intra illud tempus *inveniat*, *amictum* retinet famulus, nec merces ideo detractionem patitur. *L. 19. §. 9. ff. Locat. Cond.* add. Stryk. *de Jure Vestium.* Lauterb. *Comp. Jur. tit. Loc. Cond.* Patitur vero, si *amictum suâ culpa* corrumpere sinat v. gr. quod *ordinario amictu*, in der *Montour*, summa etiam cœli intemperie vestitus

ſtitus quotidiè incedat, licet *extraordinarium amictum*, puta *penulam*, einen Uberrock / conſervandi *ordinarii veſtitus* habeat paratam. Denique ſi famulus *amictu veſtitus*, wann er die *Montour* an hat/ab alio pulſatus verberatusve fuerit, injuriam hanc, *ſicut & alias, in genere, Dominum* vindicare poſſe, oſtendit. *l. 17. §. ſervus. ff. de injur.* Rebuff. *de privil. Univerſ. priv. 166.* add. Ludovici *in Doctr. Pand. tit. de injur. & famoſ. Libell. §. 10.* & B. D. Stryk *Uſ. Mod. Pand. eod. §. 11.*

§. 19.

Tertio *Victus* nomine quoque veniunt *expenſæ* à Domino pro ſervo ægroto erogatæ. Has detrahere poſſe Dominum docet præter alios Molin. *de Juſt. & Jur. Dec. 505. n. 1.* Schüz. *Comp. Lauterb. tit. Locat. Conduct.* & B. D. Stryk *d. tr. §. 4. de oper. ſerv.* Charitas tamen ſuadet, tali infirmo famulo, qui ſibi infirmitatem occaſione famulatus contraxit, modicas erogandas eſſe expenſas curationis, ſine detractione mercedis. D. Struv. *Exerc. 24. Th. 22.*

§. 20.

Nunc denique venit *merces ſive pecunia numerata, quæ vel uſus rei vel operæ perſonæ æſtimatur.* B. D. Lauterb. *Coll. tit. Loc. Conduct.* §. 30.

§. 21.

Præter, quod merces illa debeat eſſe *Vera*, i. e. non ſimulata *L. 55. ff. Empt. Vend.* & B. D. Lauterbach *c. l. §. 31.* requiritur, ut ſit *Juſta*, i. e. operis locatis proportionata *L. 2. C. de reſcind. vend.* & B. Brunem. *ad h. l. Certa*, antea enim Locatio non eſt, ſi merces non determinetur, niſi res antea determinata mercede locari ſolita, aut merces ex conſuetudine regionis ſit definita e. gr. Roßlohn / Holtzſpalten ꝛc. *arg. §. 1. Inſt. Emt. Vend.* & Brunnem. *ibid. Ex. 20. p. 174.*

§. 22.

Pleraque vero circa *mercedem* dependent ex *pacto* vel *Statuto loci*: *pactum* enim ad inſtar LL. obſervandum. *L. 1. ff. de conſt. pecun. & L. 1. ff. de pact.* hac de re ſtatutum deprehenditur

in

in Reformatione guter Policey *de Anno 1548.* zu Augspurg auffgerichtet. *Tit. 15. & 24.* Si vero utrumque deficiat, tam ad Domini quam famuli personam & tempus & genus servitii attenditur, & res judicis arbitrio committitur. Menoch. *arbitr. quaest. cas. 515. per tot.* huc facit Sächs. Land-Recht *L. 2. art. 32.* Wer auf Gnad dienet muß der Erben Gnad (das ist / was sie ihm gutwillig geben) nehmen / darnach soll darinnen die Gleichheit (das ist *aequitas*) nach Betrachtung der Dienstbarkeit / gehalten werden. *add. Würtemb.* Lands-Ordnung. *T. 49.* § und dieweil ꝛc. e. gr. si famulus convenit stare cum tribus studiosis pro certo pretio in anno, uno ex tribus illis intra definitum tempus mortuo, salarium diminuitur: & è converso, si alius supervenit, augetur, quia tam labor, quam pecunia divisionem recipiunt, casum in terminis exhibet Caepolla *Tr. de serv. praed. Urb. cap. 50. per L. cum acutissimus. 30. C. de Fideicomm.* et *Ord. Cam. P. 1. tit. 7.*

§. 23.

Haec *merces* variis gaudet privilegiis; circa *processum* enim obtinet, ut *summarie & executive* procedatur, nec ulla dilatoria concedatur exceptio; neque moratorium circa eam admittatur cum effectu. Carpz. *P. 1. Const. 28. def. 34. Levit. c. 19. v. 13. ibi:* Es soll deß Taglöhners Lohn bey dir nicht bleiben biß an den morgen. B. D. Stryk. *Introd. ad Prax. for. C. 1. §. 13.* itemque Carpz. *Proc. T. 1. art. 1. num. 46.* & Zanger *de Except. P. 1. c. 1. n. 60. cit. à* B. D. D. Harppr. *Resp. 16. n. 239. add.* B. D. Lauterb. *diss. de salar. Th.* 41. Circa concursum Creditorum gaudet insigni praelationis Jure: *merces* enim famulis prae omnibus Creditoribus, licet privilegiatis, exsolvendae sunt; tota namque familia debitoris, ejusque bona & facultates, unde postea omnibus Creditoribus satis fieri potest, eorum la-

boribus conservatæ sunt; æquissimum ergo visum, eos suarum operarum effectu & commodis in receptione crediti sui præ aliis omnibus frui, & ita sudoris sui fructu gaudere, Beuther *de privileg. Cred. L. 1. Tit. 29.* Id quod & in inclyto hoc Ducatu obtinet; *merces* enim famulorum der Liedlohn/ statim cum sumtibus funerum expendi debet Württembergisches Land-recht *P. 1. tit. 75.* §. wann der Schuldner rc. B. D. D. Harppr. *Resp. 92. n. 93. in fin.* et hæc obtinent, sive Domino vivo, s. mortuo fiat concursus, tradit Modest. Pistor. *part. 2. quæst. 62. n. 7.* Exceptio vero est, si famulus *mercedem debitam*, tanquam *creditum* Domino suo relinquit, & ex ea usuras à Domino exigit. Wann die Magd den Liedlohn zu einem Capital bey ihrem eigenen Herrn anlegt/ und darauß von ihm den Zinß erhebt. Beuther *mod. cit. l.* & arg. *l. 7. §. 2. ff. depos.*

§. 24.

Tempus solvendæ mercedis, si nihil aliud conventum, est *finis anni.* Bonacossa *de serv. quæst. 104.* hic facit illud: *Annua si debes, tunc inspicies caput anni; Anno si debes, in fine teneberis anni.* Solutione vero denegata famulus propriâ autoritate nequaquam tantum pecuniæ, aut alius rei fungib. retinere potest, nihil enim magis in Jure nostro prohibitum videmus quam sibimet ipsi Jus dicere; sed quod sibi quisque deberi putat, coram competente Judice id petere tenetur. *p.* l. *13. ff. quod met. caus.* Stryk *in not. ad Lauterb. d. l.* & Böhmer *Introd. in Jus Digest. eod.*

§. 25.

Interdum vero *merces* quoque *ante finitum tempus* debetur, si nimirum Dominus adeò sit iniquus & durus, ut famulum vel levissima de causa expellat, vel hic ob nimiam Domini sævitiam ipse manere nequeat: *mercedem integram* præstat talis Dominus. *per text. rotund. in L. qui operas. 38. ff. Loc. Cond. &*

L.

L. Mavia. ff. de Ann. Leg. Idem comprobat Würtembergisch Landrecht; Rubr. von Ehehalten. ubi: Hingegen aber sollen auch die Ehehalten / ohne rechtmäßige und billiche Ursachen vor der Zeit nicht auß dem Dienst getrieben / oder / auf den widrigen Fall / ihnen der volle Lohn erlegt werden. *add.* B. D. D. Lauterb. *in Coll. tit. Locat.* §. 108. & Sächsisch Landrecht *L. 2. art. 32.* eadem obtinet ratio de Jure Comm. si Dominus famuli, ante præfinitum Locationis tempus, moriatur, heredis vero conditio non ferat, famulum in servitio retinere, & hic eo anno *mercedem* ab alio non accipiat, nec *operas suas* idoneo Domino locare queat, quia per famulum non stetit, quo minus operas suas non adimpleat. *L. si addes. 19. §. penult. ff. Locat.* B. D. D. Lauterb. *mod. cit. l.* Clarius circa hoc disponitur in sæp. laud. Jure Saxonico, quod & moribus passim receptum: ut heres defuncti testatoris famulos ad mensem usque à tempore mortis, computandum, in famulitio retineat, non ultra. Sächsisch Landrecht *L. 2. art. 31. ibi:* Von dem erben soll man allererst gelten oder zahlen dem Gesind ihren Lohn / als ihnen gehört biß an den Tag / da ihr Herr starb / und man soll sie halten biß an den 30. igsten / daß sie sich mögen bestatten oder versorgen. Will aber der Erb / daß sie die gedingte und benambte Zeit voll dienen sollen / so seynd sie es schuldig und nehmen auch vollen Lohn: quo tempore interim Dominum quærendi occasionem adipiscuntur;

§. 26.

Sicuti augetur *merces*, ita quoque diminuitur, aut plane nihil debetur; Ita, si quid ex omissione culpæ levis, quæ in hoc Locat. Conduct. contractu præstanda est, *L. 29. C. locat.* B. D. D. Harpprecht, *Diss. de Jure aurig. circa contractus. th. 20. seqq.* damni contigerit, resarcire illud tenentur famuli, aut merces diminuitur. v. gr. in corruptione rei familiaris: wann

im schwencken von der Magd die Gläser verbrochen werden/ das Zinngeschirr verderbt / oder dem Geflügel die Federn nicht beschnitten werden / daß sie hernach davon fliegen und verlohren gehen; oder/ wann der Knecht mit der Gutsch oder Wagen umwirfft / und das Schiff und Geschirr *ruinir*et; oder wann die Kinds-Magd über dem wiegen einschläfft / daß das Kind herauß fällt und nimmt Schaden / ob sumtus curationis, *mercedis* diminutionem patitur.

§. 27.

Tota aufertur *merces*; cum absque causa probabili ante anni conventi finem discesserit famulus, invito Domino, aut debita servitia denegaverit; tunc ne aliqua quidem mercedis pars debetur, sed famulus prorsus se sua mercede reddit indignum, & insuper illi dictatur mulcta: aliâs enim privilegium esset, quod poena esse deberet. B. D. D. Harppr. *in Different. J. Com. et Würt. p. 2. & C. nov. 3. n. 116. seqq.* B. D. Stryk. *Us. mod. Pand. de serv. corrupt.* §. 7. Egregie hac de re sancitum reperimus in Jure nostro Provinciali Würtemberg. *Rubr.* von Ehehalten. &c. ibi: Wann gedingte Knecht oder Mägd / oder Taglöhner ohne Ursach auß dem Dienst oder Arbeit giengen / sollen unsere Amtleuth (so sie solches gläublich befunden) dieselbige auf anruffen des Hauß- oder Bauherrns handhaben und verglübden / ihme außzudienen / oder den verursachten Schaden nach Billigkeit abzulegen: So aber einer gemelter Knecht oder Mägde oder Taglöhner nicht verbieten lassen / noch wider einen Dienst oder Arbeit annehmen wollten / ist er nicht schuldig ihnen einigen Lohn zugeben / und sollen darneben selbige ungetreue Diener und Arbeither / durch unsere Amtleuth / gebührend bestrafft werden.

§. 28.

Non solum *Domi* operas expediunt, sed & *foris* agunt: sæpius

sæpius enim famulos *contrahere* videmus. Perlustremus aliquot *Contractus* & quidem ex *Realibus mutuum*; circa hoc notandum: si Dominus famulo suo dedit in mandatis, ut suo nomine mutuò acciperet pecuniam, & famulus daret Creditori chirographum de recepta pecunia, ex hac confessione, Dominus non tenetur. B. D. D. Lauterb. *Coll. tit. de confessis.* §. 9. add. Mascard. *de probat. concl.* 369. præterea chirographum, dum ex proprio non Domini mandato dedit, exhibendo, fines mandati, quos diligenter custodire debet, *L.* 5. *ff. mand.* egressus est; qui enim illos excedit, aliud quid facere videtur. vid. J. Prov. Württemberg. P. 2. *tit.* 4. §. Es soll auch ein jeder ꝛc. merito inde sibimet ipse præjudicare debet non Domino, adeoque ut illud negotium ratione mandantis sit nullum. *L. 10. C. de procur.* B. D. D. Stryk Us. Mod. *tit. mand.* §. 3. *L. Certum. §. sed an & ipsos &c. ff. de confess.* qua lege expressè sancitur: *Procuratorem vel Tutorem confiteri, non sufficere.* Quod si vero *famulus* à Domino *ad pecuniam mutuandam & recipiendam ad* aliquem missus, *famulus* vero cum pecunia aufugiat, vel à latronibus spoliatus, inanis domum redeat, damnum non est *creditoris*, qui roganti per nuntium *famulum*, misit pecuniam; *sed debitoris*, qui per *famulum* pecuniam rogavit mutuam, ejusque dominium statim, per nuntii acceptationem, acquisivit. *l. 65. de acquir. rer. domin.* eoque ipso ad ejus restitutionem se obligavit, à qua obligatione, tanquam *debitor quantitatis*, non liberatur. *L. 11. C. si cert. pet.* sæp. cit. *Diss.* B. D. D. Lauterb. *de Nuntio.* Circa commodatum disponit Würtembergisch Landrecht. *P. 2. tit. 2. §. 6.* sequenti modo: Und so der Entlehner die zu leyhen bewilligte haab / bey seinem Diener abholen lässet / oder hernach widerum heimsendet / ist er den unterwegs der entlehnten haab zugefügten schaden oder abgang / abzutragen schuldig. vid. Plebst. *ad Jus Prov. Württ. disp. 2. th. 29.*

§. 29

§. 29.

Ad alios nos vertimus, & quidem *Contractus Consensuales*, quorum primus est, *Emtio Venditio*; quid circa illam hac in materia obtineat, videbimus. Mercator mittit *merces venditas per famulum idoneum*, durch den *ordinari* Ladendiener/ *Emtori*, *famulus* vero á malis hominibus deceptus, aufugit cum mercibus, aut in latrones incidit, mercium illarum periculum non ad *mercatorem venditorem*, sed *emtorem*, pertinet, cum *mercator* non sit in culpa: explorati enim juris est, quod non aliter quisquam culpæ reus dici queat, quam si ipsa illa culpa, cujus incusatur, ad casum, s. damnum ab altero acceptum, sit ordinata; ad hoc vero ut culpa alicui imputata istud nomen mereatur, universa D. D. Schola unanimiter requirit, ut casus damnosus hac ipsa de causa sit secutus, quia illa præcessit; s. ut factum aliquod vel immediate quidem, sed tamen per se & non saltem per accidens, isti casui dederit causam. B. D. D. Harppr. *Resp. 98. n. 131. & 132.* add. B. D. D. Lauterb. *Coll. Pand. tit. ad Leg. Aquil. §. 11.* Ejusdemque *Dissert. de Nuntio. §. 55.* Periculum vero præstat *emtor mercatori venditori*, si suâ sponte pecuniam *venditori* per *famulum suum* mittat; antequam enim pecunia *venditori* solvatur, *emtor* manet *debitor*, pecuniæque dominus & consequ. ipsi, ceu *Domino*, pecunia perit, præjudicium hac de re extat apud Carpzov. *P. 5. Concl. 41. n. 12. ubi* Scabini Lipsienses sequenti modo responderunt: Ist Titius Mevio von N. 100. fl. schuldig gewesen; ob nun ihr Titius dieselbe durch einen eigenen/ von euch gedingten Botten/ dem Mevio geschickt/ dieweil aber dennoch das Geld dem Botten unterwegs genommen worden ꝛc. So seyd ihr der Zahlung nicht befreyt/ sondern solche dem Mevio nochmals zu leisten/ und den Schaden für euch allein zutragen schuldig V. R. W. add. sæp. cit. Diss. B. D. Lau-

Lauterb. *de Nuntio d.l.* Contractu inito *famulus*, ad eum probandum, quandoque intervenit, ut *testis*, quem tamen ceu, *domesticum*, Jura non admittunt. *L. 4. ff. de Testibus.* habilis verò est, nec repellitur si de *negotio domestico* testetur. Carpz. *R. 16. n. 54.* & veritas aliter sciri non potest. *L. 7. ff. eodem* B. D. Horn. *Diss. de probat. plena per unum testem.* add. B. D. D. Lauterb. *Coll. tit. de Testibus.* §. 33. Uti nuper ab inclyta hac Facultate Jurid. pronunciatum, eademque sententia à summo Justitiæ Tribunali hic confirmata in causa: der Herrn Kauffleuthe Schmid & Lengen von Tübingen contra den Herrn Gabler/ Posthaltern zu Stuttgart/ *pro amissarum mercium.* In alios adhuc contractus ulterius inquirere possemus, sed de his sufficiat. Denique tandem ad

CAPUT III.

De Famulis Delinquentibus.

§. 1.

Obligatur homo homini vel ex *facto licito*, vel *illicito*. B. D. Beyer. *posit. ad Inst. de Oblig. pos. 2.* *Factum licitum* est vel *Conventio* sive *Contractus*: de his modo egimus. *Illicitum* est *Delictum*: & hoc vel *Privatum* vel *Publicum*, vel *Verum* vel *Quasi.* Illustr. Dn. de Berger, *Oecon. Jur. p. 770.* Et perpetratur *vel omittendo, vel committendo. L. 9. §. 1. ff. ad L. Cornel. de fals.* B. D. Stryck. *Us. mod. Pand. tit. de delict. priv. §. 2.*

§. 2.

Famulo primò omnium *persona sui Domini* sancta & salva esse debet. *L. 9. ff. de obseq. Parent. & patron. præstand.* hinc graviter coërcetur, si in illum aliquid machinetur, per tradita Dn. de Berger. *in Elect. Crim. p. 1. & 2.* gravius enim, quam extraneus punitur, cum ex *qualitate injuriantis & injuriati* crescat injuria. *per L. 7. ff. de injur.* add. B. D. D. Harppr.

Conf. 93. n. 20. seqq. Quin & à pœna non liberatur, si compertum tantum habeat, aliquid iri molitum in *suum Dominum*, nec tamen detulerit ipsi, scrupulo enim societatis occultæ non caret, qui in tantum, quo potest, facinori, obviam ire desinit. vid. B. Dn. Struv. *in Syntagm. Jur. feud. c. 15. §. 9.* ibi: *si periculum non averterit, quod imminet, vel Dominum, ut sibi caveret, non monuerit.* B. D. Stryck. *Us. mod. de receptator.* §. 8. & B. D. D. Lauterb. *Coll. eod.* § 8. Si vero eo protervitæ processerit, ut *Dominum suum* interficiat, pœna merito exasperanda. arg. eorum, quæ post Carpz. *Quæst. Crim. 12. n. 30.* tradit Harppr. *Resp. 66. n. 39.* jung. Const. Crim. *art. 130.* in fin.

§. 3.

Dominus quandoque ipse leviter *famulum delinquentem* rectè corrigit. *L un. C. de emend. serv.* D. Hopp. *in Comment. ad J. de his, qui sui vel al. Jur.* §. 2. B. D. Lauterb. *in Coll tit. de Stat. Hom.* §. 19. *add.* Mev. *ad Jus Lubec. tit. 8. art. 10. n. 16.* haud tamen *Domino* est permissum *famulum* privato carcere mancipare; omni enim Jure carcer talis est prohibitus, nec ulli, nisi cui competit Jurisdictio, permittendus est. L. *un. C. de priv. carc.* ibique B. D. Brunnem. & B. D. D. Harppr. *Conf. 31. n. 34. Dominus* enim, *famulum* privato carceri includens, legales pœnas non effugit; est enim turbator jurisdictionis publ. tale vero pati, esset perniciosissimæ confusionis exemplum, dum tot Jurisdictiones fierent, quot domus, prout sentit Papon. *l. 23. tit* 1. *de arrest.* B. D. D. Harppr. *d. conf. & l.* Delicta majora solus corrigit Judex, ob competentem Jurisdict. criminalem. B. Dn. Rhet. *Inst. Jur. Publ. L.* 2. t. 6. §. 11. add. B. D. D. Lauterb. *sup. cit. Coll. Pand. de Jurisdict.* §. 7. Hujus occasione insignis controversia agitata est in Comitiis: *de Jure Legatorum circa pœnam famulorum delinquentium ho-*

rum-

horumque foro. de qua vid. post D. Pfeffing. *Vitriar. Illustr. l. 4. tit. 1. §. 36.* & Dn. Lunig *Staats-Consil. tom. 2. p.* 1131. *ubi:* Bedencken in *hac causa extat.* Celeberr. D. Struv. *Synt. Jur. Publ. c. 24. §. 16.* & in *Jur. Publ. Prud. eod. c. 24. §. 11.*

§. 4.

Sæpe *famulus* non motu proprio, sed aliorum seductione, *delinquit*; malorum enim hominum mos est, & quidem perniciosissimus, ut nunquam ipsis soli sint mali, sed venenum istud quoquoversus latissime in alios spargant: e. gr. *famulos* ad se alliciunt animumque eorum à *Dominis suis* alienant; receptationem in quavis re illicita præstant, illosque ad furandum res familiares inducunt. **Man ziehet die Ehehalten ein/ gibt ihnen unterschlauff/und zugleich die gelegenheit der Herrschafft abzutragen**; contra quos non tantum Domino utilis actio de servo corrupto competit. conf. Ill. D. Böhmer *de act. sect. 2. c. 1. §. 50.* & Dn. de Berger. *de usu act. pœn. §. 31.* sed & tales receptatores parem pœnam cum *famulis* luunt: unde vulgo **der Hehler ist so guth/ alß der Stehler.** D. de Berger. *Oecon. Jur. tit. de priv. del. extraord. §. 6. n. 1.* Harpp. *Resp. 73. n. 443. & 448.* B. D. D. Grave, Diss. *de receptator.* B. D. D. Bardili, Diss. *de Reticentia.* et B. D. Brunnem. *Diss. de serv. corrupt. th. 9. part. 2. cap. 1. §. 2. 3. & 7.*

§. 5.

Nunc, quid in specie circa *delicta* obtineat, videbimus. Primum inter *delicta privata* occupat locum *Furtum.* sæp. laud. Dn. de Berger. *Oecon. Jur. tit. de delict. priv. ordin. §. 4.* In hoc observandum, si *famulus* à *Domino suo* pecuniam aliquò solvendam mittatur *e. gr.* **wann der Bediente einen** *Conto* **bezahlen soll.** illam vero in proprios suos usus convertat, venere, aut ventre dilapidet, lusuve perdat. Harppt. *ad §. 12. J. de Oblig. quæ ex delicto nasc. n. 14. seqq.* furtum committit & periculum subit. *Dominus.* Berl. *p. 5. concl. 58. n. 27.* B. D. D. Harppr. *Respons.*

54. *n.* 60. nec refert, annumerata saltim, an obsignata ipsi fuerit tradita pecunia. Berlich. *p.* 5. *concl.* 58. *n.* 7. *seqq.* & Carpz. *Jprud. For. p.* 4. *const.* 41. *def.* 9. adeò, ut propterea vel temporali vel perpetua relegatione, vel plane fustigatione puniri queat. Carpz. *Quæst. Crim.* 85. *n.* 79. quin & pro ratione circumstantiarum pœnam mortis dictari posse adstruit B.D. Lauterb. *in sæpius cit. Diss. de Nuntio.* §. 53. Mev. *ad Jus Lubec. lib.* 4. *tit.* 1. *art.* 7. *n* 3. *seq.* Alia species furti est, si *famulus* à *Domino* ad merces petendas v. gr. pannum rubrum ad vestem conficiendam sit ad mercatorem missus, verum cum mercibus aufugit, damnum non est mercatoris, qui roganti *Domino* per *famulum suum* misit merces, sed *Domini*, qui per *famulum* merces rogavit, ejusque dominium statim per nuntii *famuli* acceptationem consecutus est. *l.* 65. *pr. ff. de acquir. rer. domin.* eoque ipso ad ejus restitutionem se se obligavit, à qua obligatione, tanquam debitor speciei, non liberatur. *l.* 11. *C. si cert. pet.* ibique Godofr. & B.D. Lauterb. *Diss. de Nuntio.* §. 55. Insuper *famuli* graviorem luunt pœnam *furtum* in rebus *Domini* committentes, quam *extranei*: de quo expresse cautum in dem Hochfürstl. Baadischen Landr. *part.* 7. *t.* 59. §. *un.* cum tanto inprobius sit factum, quo *famulus* arctiore necessitudine, quam *extraneus* obstrictus est *Domino*; quæ vel maxime *domesticis*, nihil *Patrifam.* cujus imperio subjecti sunt, damni inferendum esse, dictare deberet; Et profecto, cum non sit capitalior pestis *inimico familiari*; quo circa, quò major furandi est copia, quantoque difficilius *furta* præcaveri possunt *l.* 27. *C. de donat* & Tabor *racem. crim.* 3. §. 27. tanto etiam justius in *domesticas* has insidias magnitudine pœnarum LL. animadvertere, ex Follerio & aliis bene notat Petreus *Concl. crim.* 17. & Carpz. *quæst. crim. n.* 57. apud B. D.D. Harppr. *in Diss. Jur. Commun. & Provinc. Marbico Badens.* §. 55. Præclare

quo-

quoque disponitur circa *famulos* ex *Aula Principis* aliquid *subtrahentes* in Rescripto Serenissimi Domini Ducis nostri Würtembergici de dato 16. Octobr. Anno. 1718. ibi: Wie Wir dann hiemit gnädigst verordnet haben wollen / daß / wann hinkünfftig jemand an unserm Fürstl. Hof / einen geflissentlich gefährlichen Diebstall / als mit gewaltsamen einbrechen / steigen / oder mit waffen / damit er jemand / der ihm widerstand thun wollte / verlezen möchte / begehen würde / es seye solches gleich der erste oder mehrere Diebstall / auch der Diebstall groß oder klein / und ein solcher Dieb darob berüchtiget oder betretten würde / derselbe so fort / nach maßgaab der Peinl. Hals-Gerichts Ordn. und deren art. 159. und zwar der Mann mit dem Strang / das Weib mit dem Schwerdt / vom Leben zum Tod gebracht werden solle.

§. 6.

Ad tertiam *delictorum privatorum* speciem refertur, *damnum injuria datum*, quod vindicatur *Actione Legis Aquiliæ*. B. D. Stryck *Us. Mod. Pand. tit. ad L. Aquil.* §. 1. Sic, si Rhedarius, der Gutscher / equos veloci cursu agitatos, statim ad aquam ducat & equi inde paulo post pereant, delinquit, & damnum præstat, damnum enim datum cum injuria facientis est conjunctum, & illud tanquam ex causa mediata per se secutum. Gail. *lib.* 2. *Obs.* 22. *n.* 7. B. D. Lauterb. *Coll. tit. ad Leg. Aquil.* §. 11. aut si *famulus* cum pecoribus suis vel jumentis fundum alienum depascat: Wann Er auff frembde Weyd fähret: aut contra edictum Principis, ne iter cum jumentis certo tempore fiat in silva, aut jumenta ibi agantur, aut via Principis utatur. Wenn der Knecht den Herrschaffts-Weeg fährt / oder das Vieh im Wald grasen läßt; idem: si vectigal defraudet, wenn er den Zoll abfährt Stryck. *Us. Mod. ad leg. Aquil.* §. 8. & 9. B. Lauterb. *Coll. eod.* §. 2.

§. 7.

§. 7.

Nunc de *Delictis publicis*, inter alia hic venit, *Falsum*. Quod si enim *famulus* literas aliquò perferendas reseruerit, & pro 100. flor. summa, quæ in illis petitur, 200. posuerit, merito falsi arguitur. Coler. *part*. 1. *dec*. 179. *n*. 14. Carpz. *Pr. Crim. p*. 2. *quæst*. 93. *n*. 70. similiter statuimus, quando *famulus* merces à mercatore *Domino inscio*, prætensa tamen ejus voluntate, petit & literas, quasi à domino scriptas, quas ipse effinxit, ostendit, *falsarius* audit. *Const. crim. art*. 112. & periculum subit mercator, si magnum efficiant pretium merces: privatorum enim nunciis regulariter sine literis non est credendum; qui enim tale quid credidit, sibi imputet, quod tam credulus fuerit, est enim culpæ species nimia credulitas; quæ credulo, non aliis noceat, *l*. 11. *C. de O. & A*. ibique B. Brunnem. add. omnino *sup. cit. Diss*. B. D. Lauterb. *de Nuntio*. §. 47.

§. 8.

Aliud *Delictum Publ.* est *Incendium*; circa hoc observamus, *Famulus* candelam contra formam LL. præscriptam, de qua vid. Hochfürstl. Würtemb. Feuer-Ordnung. §. 13. ibi: **da mit besorgender Feuers-Gefahr umb so viel mehr durch GOttes Gnad möge vorgekommen werden / so wollen wir / daß ins künfftig ein jeder Würth und Hauß-Mann sich mit Leuchter versorge / und kein Gesind oder Gast in Scheuren oder Ställen / ohn mit dicken eysernen Blechen oben und unten beschlagen / gehen oder abfüttern lasse.** in stabulo habens, ex eoque incendium oriatur, in pœnam *incendiarii* incidit. Illustr. Dn. de Berger. *Oecon. Jur. tit. de delict. priv. ordin*. §. 4. Idem est in coqua, ignem negligentius custodiente, indeque incendium excitante, *v. gr.* **Wann die Mägd die Aschen / an statt in das gewöhnliche Aschen-Häußlein zu thun / solche hinter die Holtz-Winckel oder Ziegel schütten.** *per l. Si servus*. 27. §. *Proculus*. 11. *ff. ad Leg. Aquil.* ibique Godofr. add. Harpp. *Resp*. 83. *n*. 373. it: Gœddeus *in Cons. Marpurg.*

purg. vol. 4. conf. 57. n. 192. Würt. Lands. Ordn. *Tit. 88.* von brünsten §. 3. Alios casus circa *Delicta* adferre possemus, nisi temporis penuria & chartæ spatium aliud suaderet.

§. 9.

Sicuti denique omnia rerum vicissitudini obnoxia sunt, & quodlibet finem suum sortitur: ita quoque *famulitium*; *morte* enim omnia solvuntur, & hic quoque *famulatus* finitur. §. 5. *I. de societ.* dantur tamen & alii modi, *veluti lapsus temporis, itemque nimia sævitia Dominorum, et sontica famulorum valetudo. l. 10. §. fin. ff. de excusat.* cum vero de his supra jam quadantenus egerimus, ideo eò nos remittimus, finemque Dissertationi imponimus, supplices DEO gratias agentes, quod studia hactenus nostra ex voto cedere jusserit, enixis precibus rogantes, ut in posterum illa regere, ac Benignitate sua cœlesti nobis studiisque nostris semper adesse haud dedignetur.

Tantum.

PRÆSES.

Nobilissimo Dn. Respondenti, Auditori suo & Auctori Dissertationis hujus solertissimo. S.

ANnus jam volvitur tertius ex quo, positis prius in *Gymnasio* Illustri *Stuttgardiano* fundamentis & *Philologicis* & *Philosophicis*, ad nostram accesseris *Eberhardinam*, atque strenuum & indefessum interea temporis in omnibus tam Juris *Civilis*, quam *Publici* & *Canonici* partibus egeris militem eosque in castris nostris progressus feceris ut *Nobilissimi atque Amplissimi Domini Parentis* jussui obtemperaturus *publicum*, aliquod singularis eruditionis Tuæ *specimen* edere tecum constitueris meumque desuper adhibueris consilium. Auctor quidem & Suasor tibi eram, ut ingenium Tuum in argumento quodam Juris nostri Publici vel Patrii exerceres; cum tamen hoc ipsum thema, quod publicæ jamjam exponitur disquisitioni palato Tuo magis arriserit, & Respondentibus circa electionem thematis optio


optio merito relinquatur, intentioni Tuæ eo lubentius calculum addidi; quo certius est vix unam atque alteram de hoc argumento, in foris nostris licet quotidiano, reperiri Dissertationem academicam. *Proprio* id ipsum elaborasti *Marte*, ita ut mihi nihil quam quod librorum apparatum Tibi subministraverim, debeatur. Doleo saltem quod tam breve ejus elaborationi & typo destinaveris temporis spatium, quo factum, ut nonnulla irrepserint spalmata & quædam obiter saltem tacta fuerint, quæ facili negotio ulteriori explanatione illustrari potuissent; Demonstras interim insignes animi Tui dotes, quodque ingenium florentissimum optimis apud nos studiis excolueris & præsertim civilis prudentiæ penetralia summa semper cum solicitudine adieris. Faxit DEUS T. O. M. ut laudabiles conatus Tui, & in postremum Tibi semper ex animi sententia succedant quam felicissime, atque sic expectationem, quam cum *Honoratissimo Domino Genitore* de virtute Tua concepimus, non adimpleas saltem; sed & multis modis superes ac vincas. Vale

---

Velox ingenium, discendi fervor inertem
Non linquunt unquam. Pergere, Care! juvat.

pos.
CHRISTOPH. FRID. HARPPRECHTUS,
U. J. D. Sereniss. Consil. Assess. & in Ill Colleg. P. P. Ord.

Et famulis nostris *nostrum Jus jura reservat*
Hoc specimen doctum monstrat Amice! *tuum.*
Attamen haud maneant nostris affectibus ulla
(*Hos* servire *decet*) *jura retenta malis.*

pos.


GEORGIUS FRIDERICUS SEEGER,
L.tus supr. Dicast. W. Advoc.

Errata Typographica.

Pag. 5. *lin.* 2. 19. & 23. it. pag. 6. *lin.* 2. del. *l.* 1. pag. 11. *lin.* 2. pro 1. pon. 9. & pro 25. 33. p. 12. *lin.* 10. pro 34. pon. 11. p. 13. *lin.* 6. post voc. *Cælic.* add. *tit. seq. Ne Christian. mancip. &c.* p. 14. *lin.* 11. pro §. 1. n. 25. *leg.* §. 58. n. 2. pag. 24. *lin.* 3. post, voc. *merces*; add. *jam.*